



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

80. An bona Ecclesiastica legata, vel donata, ut possint alienari sine assensu Apostolico, & in proprios usus converti, possint, stante hoc, absque dicta solemnitate alienari? Et an quamvis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

generi probare pecuniam fuisse in utilitatem Ecclesie veram.

5. Declaro tamen, id procedere si mutuum sit acceptum absque vlla obligatione aliquid pro eo solvendi: nam si à Regularibus accipitur, petitur cum obligatione solvendi lucrum cessans, vel damnum emergens, id non posset fieri, etiam si tantum fructus, & alia bona mobilia, & non immobilia, nec pretiosa mobilia obligarentur pro restitutione pecunie mutuo acceptæ, & solutione lucri, & damni: hoc enim Regularibus prohibere intendit, & citra dubium prohibet sacra Congregatio in dicto Decreto, quod datum fuit Romæ die 21. Maij 1626. & per extensionem refert Barbosa, de *Jure Ecclesiastico lib. 3. capite 30. numero 16.*

RESOLVTIO LXXX.

An bona Ecclesiastica legata, vel donata, possint alienari sine assensu Apostolico, & in proprios usus converti possint, & stante hoc, absque dicta solemnitate alienari?

Et an quavis permutatio bonorum Ecclesiasticorum maxime cum laicis sit jure prohibita, tamen permutatio cum Imperatore, & Principe patriæ sit permessa absque solemnitate?

Idem est cum Fundatore, sed solemnitate præmissa. Ex part. 10. tr. 16. & Misc. 6. Refol. 85.

1. Negativam sententiam tener Glossa, & Abbas, in cap. 20. de condit. apposit. Covarruvias, in cap. 1. numero sexto, de testament. Quaranta in summa, Bullar. numer. 31. Bonacina, tomo secundo, de alien. bonorum Ecclesiasticorum, disputatione secunda, quest. unica, punct. 6. num. 11. Marcellus Vulpes, in praxi fore Ecclesiast. cap. 6. num. 5. Antonellus, de regim. Eccles. Episcop. lib. 1. capite 4. §. 3. numer. 5. Barbosa, de potestate Episcop. parte 3. allegat. 95. num. 70. Et ratio est, quia illa conditio rejicienda est tanquam turpis, & habenda pro non apposita; siquidem est juri contraria. Item relicta Ecclesie incapaci retinendi sub conditione, ut retineatur, non est obligata retinere, sed potest illud alienare. Ergo similiter relicta sub conditione, ut possit alienare, non servata solemnitate, debet illico retinere, si solemnitatem in alienatione non servat.

2. Verum his non obstantibus, affirmativæ sententiæ adheret Castrus Palaus, qui inter præstantissimos Societatis I. E. S. u Theologos non infima subcella obtinet, tomo secundo, disputatione unica, punct. 15. numero decimoquarto. Quia tum Ecclesia ex potestate accepta à testatore legatum alienat: testator autem poterat suam rem absque solemnitate alienare. Ergo transferens rem Ecclesie, potuit cum ea potestate conferre. Secundo testator potuit relinquere Ecclesie hereditatem, ea clausula apposita, ut post aliquos annos teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis, quem Ecclesia elegerit: sed ad hanc translationem nullus consensus Pontificius, nullusque tractatus requisitus est, argument. libro primo, & tertio, Cod. quando decreto opus non est, & tradit Quaranta verb. alienatio rerum Ecclesie, numero 45. limitatione decimasexta, Vgolinus, de potestate Episcop. allegat. 95. numero 62. Ergo neque etiam requiritur in nostro casu, cum in eo etiam sit quoddam fideicommissum, & ex voluntate testatoris alienatio non procedit. Neque obstant contrariæ rationes. Ad primam nego rejiciendam esse illam conditionem, tanquam turpem, & juri contrariam, cum jus solum prohibeat alienare res Ecclesie, quæ illius

sunt absolute; secus illas, quæ non sunt absolute, & perpetuè Ecclesie, sed quandiu Ecclesie placuerit illas retinere. Ad secundam respondeo esse disparatam rationem. Qui enim legat Ecclesie incapaci retinendi ea conditione, ut retineat, manifestè constat obfata Ecclesie dispositioni, ac proinde turpem esse illam conditionem, & rejiciendam. At qui legat ea conditione, ut Legatum alienet, quando voluerit, non opponitur dispositioni, & juri Ecclesie: hæc enim Ecclesia impedita non est alienare sine solemnitate in omnibus casibus, sed solum in illis, in quibus res Ecclesie sibi absolute relinquuntur, non in illis, in quibus pro limitato tempore conceduntur, ut sit in presentibus, siquidem conceditur legatum pro tempore, quo ipsa Ecclesia illud retinere voluerit. Hucusque Palaus.

3. Quid ego sententiam, dicam breviter: Ejus opinio, speculative loquendo, videtur mihi probabilis; Ego tamen non audeam in Praxi recedere à sententia negativæ; quia est communis inter Doctores, & magis secundum stylum Curie, & præsertim pro casu, de quo interrogatus fui; quia consulens erat Vicarius Diocesis in statu Ecclesiastico, & erat Vicarius Episcopi Cardinalis.

4. Sed quia hic incidit sermo de alienatione bonorum Ecclesiasticorum, apponam casum discussum à Patre Vvadingo, in tractat. de contratt. disputatione secunda, dub. 8. §. 3. numero quarto, ubi sic asserit: Quamvis permutatio bonorum Ecclesiasticorum, maxime cum Laicis sit jure prohibita, tamen permutatio cum Principe patriæ est permessa. In authent. de alienandis. Imperator permittit libere, ut fiat permutatio secum, & leg. hoc jus porrectum, Cod. de Sacrosanct. Ecclesi. & relata est illa lex in decretum, cap. hoc jus 10. questione prima, & in capite primo, de rerum permutation. absolute conceditur, ut quando est rationalis causa, possit Ecclesia cum Principe permutare possessiones, verbi gratia, quando Princeps vellet dilatare suum palatium, aut vivarium facere ex aliquo prædio Ecclesie, aut habet aliam causam rationabilem utendi pro suis communibus usibus aliqua possessione Ecclesiastica, tunc potest, & debet Ecclesia consentire in permutationem, etiam si Princeps non compensaret dando possessionem majoris valoris, modo det æqualis. Vide in capite primo, de rerum permutatione. An autem hic casus ita sit à jure privilegiatus, ut non requirantur solemnitates ad alias alienationes necessariae, disputatur: plurimi enim secuti Innocentium, negant; Zabarella, Imola, Henricus, & alij asserunt, vere ita esse privilegiatum, ut non requirantur solemnitates, Hostiensis in cap. citato, Archidiaconus, cap. hoc jus 10. quest. 1. Nevizanus cons. 100. & alij recentiores, ut Tuschus verb. Alienatio concl. 273. alios citans, quæ opinio videtur rationalis, quia ut bene argumentatur Hostiensis, Ecclesia voluit aliquod singulare privilegium concedere Imperatori, vel supremo Principi tanquam Patrono, & Fundatori: parum autem concessisset, si voluisset requiri in illa permutatione eadem solemnitates, quæ requiruntur in privato, nec satisfacit Ioannes Andreas, quem communiter alij sequuntur, dicentes, in hoc aliquid peculiare statui in Principe, quod Ecclesia sit contenta permutatione pro re æquali, quod tamen in privatorum permutationibus non sufficeret, in quibus debet fieri permutatio pro magis utili. Ad hoc enim posset responderi negando unquam in tali casu inæqualem fieri permutationem, sed semper illum contractum fieri pro majori Ecclesie utilitate: quia fatentur omnes, Ecclesiam, & posse, & debere facere donationes remuneratorias, de quibus infra, & dicunt, donationem fa-

Atam ex gratitudine benefactoribus eximii esse ad majorem Ecclesiam, vel Monasterij utilitatem, quia animantur alij ad benefaciendum, quando vident Ecclesiasticos esse gratos. Vnde existimo, si privatus aliquis fundator peteret communicationem aequali, fore illam causam licitam permutationis, servatis tamen solemnitatibus: quia æquum est, & valde expedit Ecclesiam sic permutare: ergo cum secundum omnes in hoc cap. fiat Imperatori, vel Regi singulare privilegium, debemus fateri, in hoc consistere, quod sine solemnitatibus possit fieri. Reliqua enim omnia sunt, ut dixi Imperatori communia cum quocumque fundatore privato. Deinde ad hoc adhuc amplius inducor, quod videam in dicto capite primo statui, ut Imperator de hac permutatione pragmaticam edat sanctionem, quasi tacite, jus in gratiam Principis optime meriti commutare solemnitates tractatum, & instrumentorum, quæ solent requiri ex parte Ecclesie, in illam solam, ut ipse Princeps faciat instrumentum permutationis. Hucusque Pater Vvadingus. Sed ejus opinionem in praxi non video observatam.

RESOL. LXXXI.

An cogentes feminas intrare in monasterium educationis causa incidant in excommunicationem latam in Concilio Tridentino, sess. 35, c. 18.

Et quid de peccato in quacumque opinione circa hoc?

Et an si metu reverentia, vel importunis precibus Parentes, vel alij suadeant puellis intrare in Monasterium incurant in excommunicationem Concilij?

Et notatur non incurrere hanc censuram illum, qui filiam relinquit heredem cum pacto, ut aliquod Monasterium ingrediatur.

Et multa alia explanantur pro supradictis casibus. Ex part. 2. tr. 15. & Misc. 1. Ref. 56.

Sup. hoc in
Ref. seq.

Sup. hoc in
Ref. not. seq.
§. 2. paulo
post initium,
vers. Vnde

Sup. hoc in
Ref. seq. §.
vlt.

§. 1. R Espondeo distinguendo, vel dictæ feminae sunt impuberes, vel sunt puberes; si sunt impuberes, dico parentes illas cogentes non incurrere in hanc excommunicationem: nam pater, & mater ex jure Canonico, ut probat Sanchez, in summa, tomo primo, libro quarto, capite 19. numero 8. & 9. habent jus naturale offerendi filios religioni, & talis filius sic oblatus tenetur obedire patri ordinanti suam educationem; & antequam annos pubertatis attingat, non potest à Monasterio exire, & hoc jus Canonicum non fuit hic à Concilio revocatum. Et ita hanc sententiam in terminis docet Suarez, de Religion, tom. 1. lib. 5. cap. 9. num. 4. & doctus Portel, in addit. ad dubia regular. vers. clausura Monialium, num. 4. quidquid postea, quod valde miror, dubitanter asserat in vers. Moniales, num. 18. Si autem dictæ feminae cogantur intrare Monasterium puberes, id est, post annos duodecim.

2. Prima opinio est affirmativa, etiam si cogentes non dicant, ut intrent ad habitum suscipiendum, neque ad professionem emittendam, sed solum, ut ibi maneant cum habitu seculari, usque ad occasionem nubendi. Ita docet Barbosa, de potest. Episcop. p. 3. alleg. 104. n. 5. & in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 3. c. 1. n. 4. Raynerius, in catalogo censur. c. 6. excom. 63. Megala, in 3. part. lib. 4. c. 6. n. 100. Zipæus, in jure Pontificio novo lib. 3. de Reg. n. 30. Ledesma, in addit. ad Sum. tom. 2. tr. de statibus, c. 5. concl. 8. Zerola, in praxi Episc. part. 2. vers. Moniales, q. 13. & Filiuc. tom. 1. tr. 14. c. 6. num. 89. & ante omnes, sapientissimus senex Navarrus, conf. 56. de sent. excom. in 1. edit. & conf. 6. de regul. in 2. edit. & Filiuc. cum Raynerio citant pro hac sententia Suarez, de cens. disp. 2. 3. sect. 5. num. 9. Sed ipse postea, ut infra videbi-

mus, explicuit circa præsentem materiam sensum suum, non ut citati DD. accipiebant.

3. Secunda opinio limitat supradictam sententiam, & asserit, tunc cogentes feminas intrare Monasterium, incurrere in dictam excommunicationem, quando coactio illa ingressus efficeretur in ordine, vel cum animo ad postea suscipiendum habitum Religionis, sive suasionibus Monialium, sive alia via: secus si hoc nullo modo intenderent ipsi cogentes, tunc enim non incurrerent. Ita ex Emanuele Rodriguez, in sum. tom. 2. cap. 8. n. 9. Portel, in addit. ad dubia regular. vers. Moniales, n. 14. & Sanchez, in summa, tom. 1. lib. 4. c. 4. n. 12.

4. Tertia opinio est P. Suarez, de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 9. dub. 4. ubi ait Concilium loquutum fuisse, non de omni ingressu Monasterij, sed de illo, qui per se ordinatur à parentibus ad susceptionem habitus, & sub hac conditione, seu pactione sit. Igitur secundum Suarez, videtur tunc cogentes feminas intrare Monasterium, incurrere in excommunicationem, quando haberent animum, ut ibi invitate permanerent, & suscipiant habitum; secus autem si habeant animum, ut ibi custodiantur, vel etiam, ut paulatim afficiantur, & postea, si voluerint, habitum suscipiant.

5. Quid ego sentiam, dicam breviter. Omnes supradictæ opiniones sunt satis probabiles, & tute in praxi; sed ego primam libenter amplector, quia Concilium, sicut expressit susceptionem habitus, aut professionem; sic etiam expressit disjunctivè Monasterij ingressum, sed in alternativis sufficit alterius partis veritas. Ergo, &c. Item Concilium expressit, ac prohibuit, sine vlla distinctione, sed simpliciter, ingressum Monasterij; ergo ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; & optime, sanctèque Concilium absolute loquutum est; quia per illum ingressum, ut sic dicam, datur occasio, ut postea puella in Monasterio ob verecundiam femineam, & Monialium suasionem suscipiat habitum involuntarie. Ergo, &c. Nota verò, quod Concilium non solum prohibet directam, sed etiam indirectam coactionem. Ut si, verbi gratia, parentes male tractent puellas in victu, vestitu, verbis, & aliis actionibus, contumeliose illas tractando; nam si ita facerent, dictam excommunicationem vtrique incurrerent. Et hæc dicta procedunt quoad excommunicationem; nam quoad peccatum, puto non excusari parentes cogentes feminas ad ingressum Monasterij, etiam stando in quacumque opinione, ex supra positis. Nam, ut bene observat Suarez, cum femina majoris ætatis sit sui juris in omnibus his, quæ ad statum animæ suæ pertinent, non possunt licite, & sine peccato à parentibus cogi ad tam arctam custodiam, & rigidam claustram, & talem vivendi modum, etiam temporalem; secus si ad aliquod tempus talis ingressus censetur moraliter necessarius ad decentiam, & custodiam ipsarum.

6. Ex his apparet, quàm cautè debeant parentes in hoc tam gravi negotio incedere. Sed quia vix plurimum puellæ nobilium ingrediuntur Monasterium tantum ex metu reverentia, & non ex minis, seu coactione, ut in supradictis suppositum est; ideo quaeritur ad Confessoriorum, & Penitentium consolationem, an in tali casu parentes incidant in excommunicationem Concilij? Respondeo negativè cum Riccio, in praxi, tom. 1. ref. 599. n. 4. & Portel in addit. ad dubia regularia, vers. Moniales, n. 11. & quia codex rarus est, ponam ejus verba. In hoc casu (ait) credo metum reverentialem non inducere excommunicationem, quia parentes, vel consanguinei in illo timore incutiendo, non se habent activè, etiam si manifestent puellæ statum monachalem illi convenire, & quod non habeat dotem pro matrimonio, vel eo quod non illi